

et reformatione ipsarum ecclesiarum et ad comparandum ea, que ad ornatum pertinent earundem, non fideliter observant nec in usum seu utilitatem earum exponunt, sed ipsas pecunias propriis suis usibus, ut asseritur, applicant et sibi etiam imbursant. Quare vobis universis et singulis ecclesiarum rectoribus districte mandamus, quatinus a dictis aldermannis seu juratis, ne hujusmodi pie donata inutiliter ac impie dilapidentur, computationem realem et districtam bis in anno exigatis et recipiatis de bonis ecclesiarum tam de perceptis quam expositis per eos quibuscumque. Quibus quidem aldermannis sub pena excommunicationis canonica monicione premissa precipimus, ut dictam computationem dictis ecclesiarum rectoribus abs qualibet contradictione faciant requisiti, et quod festivis diebus in ecclesiis seu cimiteriis infra missarum solempnia prefati aldermanni non petant nisi offertorio prorsus finito, ipsis sub pena premissa districtius inhibemus, alioquin contra eos et eorum quemlibet, si ipsorum contradictio et rebellio meruerit, gravius procedemus.

Preterea ^{a)} precipimus et sub excommunicationis pena mandamus, ne prelati, provisores aut prepositi monasteriorum monialium nostrarum civitatis et diocesis ipsa monasteria seu claustra quovis modo introeant, nisi magna et evidens necessitas id exposcat. Que si talis fuerit, nequaquam hujusmodi ingressum sine religione et socio sibi comite facere presumant pena sub premissa. Et si ex justa et honesta causa cuiquam personarum sui monasterii loqui voluerint, hoc in ecclesia sub bono testimonio faciant manifeste, ne sinistra contra ipsos suspicio oriatur. Alioquin gravi subjaceant ulcioni.

^{a)} Preterea bis ulcioni auf pag. 103 nachgetragen und durch die Bemerkung Iste punctus synodalis stabit ante duo folia. Nota, an den obigen Platz verwiesen, wo am Rande steht: Preterea precipimus quere post duo folia.